SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM

DE

TARTARI EMETICI PRAESTANTIA

QVOD

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO CAROLO ALEXANDRO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE AC SILESIAE DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS

DIE SEPTEMBR. CIↃ IↃ CC LXXVII.

EXHIBET

CHRISTOPHORVS PETRVS BVCH

WERTHEMIENSIS.

ERLANGAE

TYPIS WOLFGANGI WALTHERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

IOANNI CHRISTOPHORO

B V C H

DOCTORI MEDICINAE EXPERIENTISSIMO

SERENISSIMI MARGGRAVII BADENSIS

CONSILIARIO AVLICO

ET

ARCHIATRO LONGE MERITISSIMO

FRATRI MEO

AD CINERES VSQVE COLENDO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Amorem artis medicae innatum mihi atque cum lacte materno quaſi inſtillatum eſſe, non TE, VIR OPTIME, latere, non TVAM effugere memoriam poteſt. Hinc factum eſt, vt a prima iuuentute nihil prius, nihilque antiquius, in votis haberem, quam vt his ſtudiis totum me tradere poſſem. Licet fors ſub initium deſiderio meo non faueret, duritiem illius tamen conſtantia mea vicit. At enim vero ſolis viribus, multo minus ſolis votis meis, quamuis ardentiſſimis, metam exoptatam nunquam forſan attigiſſem, niſi TV, FRATER DVLCISSIME, auxilio TVO beneuolo atque firmiſſimo conatus meos ſubleuaſſes. TE duce in intima Hygeae penetralia admiſſus, TE duce ſortis benignae, qua laetus fruor, particeps demum euaſi. Quae quum ita ſint, officium iure meritoque poſtulat, vt TIBI potiſſimum ſtudiorum meorum primitias offeram, atque ILLVSTRI NOMINI TVO dedicem. Quod ſi illas fraterno non indignas iudicaturus es aſpectu, nouo me ornabis beneficio, vtrumque, quamdiu ſpiritus hos recturus eſt artus, gratiſſimo ſemper ac laetiſſimo maximi facturus ac deueneraturus ſum animo. Vt

Digitized by Google

vero gratam TIBI omni data occaſione declarare poſſim mentem meam, viuas per longam annorum ſeriem felix, fruaris perpetua Sereniſſimi Principis TVI clementia, ſis aegrotantium ſolatium certiſſimum, mei vero noſtraeque gentis gaudium atque ornamentum, ex intimo animi affectu opto. Equidem amicitiam vere fraternam fauoremque inaeſtimabilem TVVM ſumma ad vrnas culturus veneratione, ſimul futurus ſum.

VIR ILLVSTRIS

FRATER LONGE CARISSIME

AMPLISSIMI NOMINIS TVI

cultor integerrimus

AVCTOR.

Digitized by Google

§. I.

D*olores ſeu affectiones, quae partibus ſupra diaphragma oboriuntur, quaecunque purgationis ſunt indigentes, ſuperiore pharmacia opus eſſe, ſignificant: quae vero infra, purgationem infernam requirunt;* ſunt verba diui HIPPOCRATIS, quae in *L. IV. Aphor. XVIII.* leguntur, et quibus venerabilis Medicinae Pater, multa et maxima commoda, quae a remediis emeticis aeque ac laxantibus et purgantibus, in plurimis morbis exſpectanda ſunt, optime ſe nouiſſe indigitat. Ob non ſpernenda commoda illa frequenti experientia confirmata Medici prudenter egiſſent, ſi in curandis pluribus morbis remediorum illorum vſum minus repudiaſſent, et potius diligenter verba divi COI retinuiſſent ac obſeruaſſent. Sed quum ingenia hominum maxime mutabilia ſint, ſemperque nouis inhient; aegrotantium multi etiam a remediis laudatis abhorreant, ideoque tolerabiliora ſuoque palato magis arridentia deſiderent: adeo mirandum non eſt, quod in ſubſequentibus ſeculis Medici saepiſſime a via ab HIPPOCRATE praeſcripta recedentes, aut nouas ſibi doctrinas fingentes, aliam medendi viam aliaque media elegerint.

§. II.

Neque vero his id dictum volo, omnem Medicorum familiam ſequioris aetatis HIPPOCRATIS doctrinam prorſus deſeruiſſe aut damnaſſe: multi potius, vt abunde conſtat, eius ſollicite ſemper veſtigia preſſerunt. Fieri non potuit, quin ab iis, qui a ſe diſſentirent, vehementer carperentur, eorumque methodus, vt inſufficiens aut noxia, reiiceretur. Nec reciprocae exprobrationis cauſſam perſpicere eſt difficile. Nullo ſcilicet habito primarum viarum reſpectu, finxere illi omnibus fere in morbis ſingularem et ſumme venenatam materiam in ſanguine haerentem, quae non emeticis aut laxantibus expelli poſſet, ſed quam vnice diaphoreticis et calidiſſimis alexipharmacis et regimine calido aggredi, ſicque virus a corde depellere oporteret. Infelix plerumque peruerſi conaminis ſucceſſus eximiorum

rum tandem Medicorum excitauit attentionem, vt ſe methodo ſatis diu receptae opponerent; ſique iam SYDENHAMVS contra damna e putatitia hac malignitate redundantia ſolide declamauit, praeſtantiſſimi hodie Medici eius admonitiones et obſeruationes, et praeceptis ſuis confirmant et experientia.

§. III.

Verum enim vero licet magnus ſit Medicorum numerus, qui hanc methodum repurgatam ſequuntur, et, primarum potiſſimum viarum rationem habentes, euacuantium vſui magis inſiſtunt, eſt tamen et in horum methodo differentia notabilis: dum non pauci illorum ab emeticis abhorrentes horum loco laxantia ament, et maiori cum fructu adhiberi poſſe, ſibi perſuadeant. Quae laxantia neutiquam quidem reſpuenda, in ſe ſpectata maxime potius ſalubria, quinimo ſuo loco iuſtoque tempore propinata ſaluberrima ſunt: interim tamen tantum abeſt, vt omni malo tollendo ſufficiant, vt potius emeticis multum, imo interdum abſolute, poſtponenda ſint, vbi praeſertim cauſa mali in ventriculo latet, peccansque materia in illo recondita eiusmodi indolis ſaepius eſt, vt per aluum educi nequeat. Hinc immortalis HIPPOCRATES vtrumque in ſupra allegato aphoriſmo optime a ſe inuicem diſtinxit, ſatque exacte, licet parum anatomice, indicauit, quo in caſu catharſis vel emeſis conueniat.

§. IV.

Sunt tamen nonnulla ſatque frequenter obuenientia momenta, quae vſui emeticorum, in ſe licet, ſi debito et modo et tempore adhibeantur, maxime ſalutarium ſeſe opponere videntur. Fieri ſcilicet poteſt, vt Medicus, apparente ſaepe infirmi ſui debilitate, ab vſu emetici, quod caeterum maxime proficuum iudicaret, deterreatur, eique minus efficax laxans ſubſtituat. Augent ſaepe formidinem intempeſtiuam amici adſtantes, fallaci aegri infirmitate decepti, nouumque adhortationibus ſuis Medico non ſatis conſtanti metum incutiunt. Ipſi ſaepe aegri medicamenta, quae vomitum excitatura ſciunt, praeuia iam nauſea deteſtantur, eorumque omnibus precibus aut ſummâ

perti-

Digitized by Google

pertinacia repudiant propinationem, cumprimis ſi ipſius vomitus extimeſcant moleſtias, haec medicamenta ſic prorſus ſuae, vt loqui amant, naturae eſſe contraria dictitantes. At nec inficiandum eſt, eſſe ſaepe in medicamentis, quae ſalutari conſilio ad vomitum prouocandum propinantur, ſiue iam aegri exſpectationem, ſiue ipſum remedii ſaporem et colorem ſpectes, aliquid minus grati, immo aduerſi, vnde fit, vt infantes, ſolo ſapore grato ad-deglutiendum allici ſoliti, haec remedia ingrata maxime faſtidiant, et aut vehementibus recuſent clamoribus, aut vi infuſa illico ex ore exſpuant, ſicque aut propinationem remedii adeo ſalutaris, aut eius debitum maximeque proficuum effectum ſua culpa impediant.

§. V.

Haec me mouerunt, vt de remedio inueniendo cogitarem, quod non adultis modo, ſed ipſis etiam infantibus, absque omni nauſea metuenda, et tali modo propinari facile poſſet, vt pro circumſtantiarum diuerſitate emetici partim, partim laxantis, et partim denique diaphoretici medicamenti, vices ſubiret, et quod ſic absque vllis incommodis cuique indicationi ſuo tempore ſatisfaceret. Et hoc remedium in Tartaro emetico cryſtalliſato inueniſſe me exiſtimo, et quidem meo, quem amicus meus, GEORGIVS DANIEL WIEBEL, qui in praeſenti Archiater Hohenloico-Ingelfingenſis ac Kuntzelſauiae Medicinae Practicus eſt, in Diſſertatione ſua de *Tartaro emetico*, ſub Praeſidio IO. IAC. KIRSTENII, Altorfii 1764 ventilata, deſcripſit (*).

§. VI.

(*) Conuenit quidem haec, quam §. IV. indicat, praeparandi methodus plerumque cum iis, iuxta quas fere communiter praeparari ſolet, dum ſcilicet mixtis partibus aequalibus cryſtallorum Tartari et Croci metallorum et in aqua coctis, ſal vegetabile acidum particulis antimonialibus imbuitur; verum autor magis cryſtalliſationi inſiſtit, dum alii euaporationem ad plenariam ſiccitatem admittunt, minus ſic albidum, ſed efficaciorem adhuc ſe Tartarum emeticum obten-

§. VI.

Prius vero, quam de Antimonio, quod eſt fundamentum principale Tartari emetici, et a quo proprie vires eius emeticae pendent, ea, quae hic ſcitu neceſſaria ſunt, moneam, ratio, quae ad hanc materiam me duxit, alleganda erit. Anno huius ſeculi LXVIII honeſtioris dignitatis perſona ex me quaerebat, vtrum partes conſtituentes Ipecacuanhae et Tartari emetici eaedem eſſent, eoque ipſo easdem haberent vires? Licet quidem, cum vltima omnium corporum elementa nec cognoſcere, nec diiudicare poſſimus, manifeſtiſſima ſtatim inter particulas Ipecacuanhae, vegetabilis quippe proſapiae, et antimoniales, minerales ſcilicet, quae Tartaro vires largiuntur, differentia appareat, tamen tum temporis difficile mihi erat, ad hanc quaeſtionem rite reſpondere, viriumque ſimilitudinem cum particularum diſſimilitudine explicare; hinc ad accuratiorem partium vtrumque medicamentum componentium diſquiſitionem excitabar.

§. VII.

Eruditus quidam Lipſienſis contendere quidem conatus eſt, partem Ipecacuanhae actuoſam ſal ſulphureo-arſenicale eſſe: Aſt enim vero experimenta a me ideo inſtituta de huius aſſerti veritate me neutiquam conuincere valuerunt. Sal autem illud, quod iſte in illis ſe inueniſſe affirmat, nullo modo detegere potui. Quam difficile ſit, pura ſalia per chemica tentamina, ipſamque, vt vocatur, chemiam hydraulicam, ex vegetabilibus obtinere, inter omnes ſatis notum eſt. MARGGRAFIVS, celebris ille chemicus, eſſentialia ſalia ex recentibus quidem herbis, et praeſertim ex Borraginis ſucco, nitro ſimile ſal ſe obtinuiſſe demonſtrauit: ſiccas autem herbas et radicem eiusmodi ſal purum continere, probatu difficillimum erit. Menſtrua aquoſa acrem quamdam amaricantem et leniter conſtringentem ſubſtantiam gummoſam, ſpirituoſa autem menſtrua acriorem amarican-

obtenturos, exiſtimantes. (Vid. TRILLERI Theſaur. Medicament. Tom. II. p. 756. SCHVLZ. Praelect. p. 615.)

ricantem, minus conſtringentem, magisque reſinoſam extrahere ſolent.

§. VIII.

Verum, prout in genere difficile eſt, ex analyſi partium componentium ad ipſas vegetabilis cuiusdam vires medicas argumentari, ita etiam vires emeticas vegetabilium e partibus conſtituentibus explicare, non minus arduum, forteque incertum eſſet, praecipue, dum virtus vegetabilium non a ſolis particulis ſalinis, verum etiam ab aquoſis, oleoſis et terreis pendeat. Dantur enim vegetabilia plura, quae quidem ex ſimilibus prorſus compoſita partibus, neutiquam vero eosdem, imo ſaepe contrarios producunt effectus. Hinc forſan non incongrue quaeri poſſet: vtrumne haec vis emetica non etiam ex parte ex nauſeabundo ac vaporifero odore, quem contuſa Ipecacuanhae radix fundit, originem trahere poſſit? Hoc mihi quidem non prorſus omni probabilitate deſtitui videtur, cum ſatis notum ſit, radicem illam, ſi per longum temporis ſpatium pulueriſata conſeruatur, magnam virium ſuarum partem ſenſim amittere. Licet quidem non diffitendum eſt, qualitatem odoram huius radicis adeo debilem eſſe, vt eam *inodoram* ſaltem et *leuiſſime pungentem* vocet Ill. LINNAEVS, (vid. eiusd. *Materiam Medicam* ex editione Ill. SCHREBERI p. 194.) et in partibus reſinoſis ſpiritu vini extractis validas adhuc latere vires emeticas. (Vide LEWIS *Mater. Medic.* pag. 425.)

§. IX.

Deinde quaeri etiam a nonnullis poſſet: vtrumne forſan in incremento huius plantae, praeſertim vero radicis, quippe quae ſola hanc vim continet, particulae quaedam ſubtiliſſimae, volatiles, metallicae, aut arſenicales reliquis partibus immiſceantur? Equidem ſunt, qui ad hoc credendum eo facilius inducuntur, dum relationibus quibus fidem habentes, hanc radicem in Braſilia ſuper auri fodinis creſcere credunt, inque hoc errore, Gallica radicis denominatione: *Mine d'or* confirmantur, ſat ſcilicet iis probabile videtur, exhalationes ſulphureo-metallicas, quae circa eiusmodi fodinas copioſiores eſſe debent, facile in

plantas ſupercreſcentes penetrare, easque viribus ſuis imbuere. Ad id credendum eo magis inducuntur iis, quae paſſim, aut fictitia, aut non ſatis trutinata, de plantis obrizo obductis olim dicta ſunt, temere inde ad Ipecacuanhae particulas metallicas argumentantes. Verum difficile intellectu eſt, quomodo verae particulae minerales aut metallicae ſic in plantas tranſire, ſuasque cum iis vires communicare poſſint. Accedit porro, iuxta recentiores fide dignas peregrinatorum relationes, nequaquam Ipecacuanham ſupra auri fodinas, ſed potius longe ab his, tum in arenoſis, tum etiam in ſiluis humidis Braſiliae naſci, hinc nec ab auri, nec arſenici, nec antimonii putatiis particulis aut viribus imbui poſſe. (Vid. Ill. SCHREBER *Mater. Med.* loc. cit. GEORG. WOLFG. WEDELII Diſſ. *de Ipecacuanha Americana.* pag. 13. ABRAH. VATERI Diſſert. *de Ipecacuanhae virtute febrifuga etc.* §. 4. pag. 7. IOH. HENR. SCHVLZII Diſſert. *de Ipecacuanha Americana.* §. VI. VII. B. ANDREAE ELIAE BVCHNERI Diſſert. *de radice Ipecacuanbae.* §. VII.

§ X.

Quamuis longiſſime ab eo abſim, qui aliquid de laudibus Ipecacuanhae debito tempore, modo ac doſi adhibitae detrahere velim, quippe qua Viri optime de arte medendi meriti optimo cum effectu vtuntur quotidie; tamen nunc eo magis in medicamento antimonialis proſapiae ſubſiſtere conſtitui, hocque conſilio nunc per experientias proximo decennio inſtitutas, probare tentabo, tartarum emeticum puriſſimum tutiſſimum ſaluberrimumque eſſe Praeparatum antimoniale. Multa ex antimonio, eaque ſaluberrima praeparari medicamenta, antimoniumque ipſum medicamentis annumerandum eſſe, abunde affatimque notum eſt. Idem vero crudum, at eo magis praeparatum, aut ignis torturam paſſum, vt venenum operari poteſt, ſi neque iuſto tempore aut modo, nec in legitima doſi, propinatur. Et hinc ſine dubio factum eſt, vt multi remedia chemica, praeſertim veto emetica antimonialia, quoniam interdum vehementiſſime operantur, cane ac angue peius fugere ſatius duxerint.

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

Dum Antimonii vſus antiquiſſimus in Medicina eſt, varia quoque fuit Medicorum de eius qualitate opinio. Tempore DIOSCORIDIS, qui id *στιμμι* vocat, imo longe ante et poſt eius tempora vnanimis erat omnium de eius ſumme venenata qualitate conſenſus, nec ideo niſi ad vſum externum, praecipue in collyriis aut ad cilia nigro colore pingenda adhibebatur. Eius tamen vis medicata praecipue inualuit ſaeculo circiter duodecimo, quo Monachus quidam, ſub nomine Baſilii Valentini librum edidit, ſub titulo *Currus triumphalis Antimonii*, in quo Antimonii vires ad innumeros fere morbos miris laudibus effert. (Vid. GEOFFROY *Mat. Med.* T.II. p. 219.) Vix tamen adeo frequentem eius fuiſſe adhuc vſum internum credendum ante finem ſaeculi decimi quinti, dum ſcilicet PARACELSUS VALENTINI opinionem ſequens, Antimonii famam longius latiusque funderet, eiusque deleteriam et venenatam qualitatem negaret. Hunc ab eo tempore plerique Medici ſequuti ſunt, in Antimonio, pro diuerſa eius praeparatione duplicem virtutem admittentes, emeticam vnam, diaphoreticam alteram, (vid. LEWIS *Mat. Med.* pag. 63.) licet tamen nonnullis adhuc pernicioſae qualitatis inhaereat ſuſpicio. Excell. olim NEVMANNVS in illis *Lectionibus*, vbi de *Antimonio* tractat, plurium auctorum opiniones diuerſas ſaepeque ſibi repugnantes in ſcenam producit, tandemque ipſe, pro ſumma ſua in chemicis peritia, pag. 346-348. ſanum et ab omni partium ſtudio alienum iudicium ſuum addit. Medium ſcilicet, ait, ſuam de Antimonio tenere ſententiam. Abeſt ab iis, qui ſummis et iuſto maioribus laudibus id medicamentum extollunt, quaſi omnes morbos ſublaturum. Verum nec iis aſſenſum praebet, qui Antimonium velut iners prorſus remedium contemnunt, vel vt pernicioſum et deleterium penitus reiiciunt et condemnant. Totum potius negotium in eo verſatur, vt eleganter GEORG. WOLFGANG. WEDELIVS in Amoenitat. mater. medic. Lib.II. Sect.I. Cap.X. p. 310. dicit, vt 1) *corporis ipſius ſtatus et praeſentia materiae*, 2) *medicamenti ipſius iuſta praeparatio*, 3) *doſis proportionata, non excedens* obſeruetur. Quemadmodum enim

data

Digitized by Google

- - - - data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent,

ſic etiam debitus et tempeſtiuus Antimonii vſus maxime ſalutaris, intempeſtiuus maxime noxius eſſe poteſt. Aeque male ſic aliquis de noxia qualitate Antimonii in genere argumentaretur, quam qui cultrum acutiſſimum inter inſtrumenta perículoſa referret, quo tamen manus artificis nitidiſſima exſculpit, infans vero vel furioſus ſe et alios laedit facillime. Eadem plane eſt ratio Antimonii, quod ſub vſu ſaltem intempeſtiuo noxium euadit, in ſe vero praeſtantiſſima eſt ſubſtantia, quae inſignis columnae totius Medicinae nomen meretur, dum plurima maxime ſalutaria et efficaciſſima ex eo praeparari poſſunt, et quotidie praeparantur medicamenta. Neque minus erronea eſt opinio, qua multi ipſum Antimonium crudum per ſe valde venenatum eſſe exiſtimant, cum tamen a qualitate venenata aeque longe abſit, quam ipſe Mercurius currens. — Haec ille! Vltimum docet quoque KVNCKEL in ſuo, quem in *Laboratorio chemico* allegauit, tractatu *de Antimonio*, vt et morſuli antimoniales ab eodem inuenti. Ill. BOERHAVE in Elementis Chemiae Tom. II. p. 504-528. elegantiſſima circa Antimonium experimenta et ſaluberrimas ex eo docet praeparationes; nec incognitum eſt, magnum hunc virum in Antimonio remedium ſpecificum contra variolas quaeſiuiſſe, dum in *Aphor. de cognoſc. et curand. morb.* Aph. 1392. *in Stibio*, inquit, *et Mercurio ad magnam penetrabilitatem arte deductis, nec tamen ſalina acrimonia nimium corroſiuis, ſed bene vnitis vt quaeramus id remedium ſpecificum, incitat aliquis horum aliquando ſucceſſus.*

§. XII.

Ad me quod attinet, minerale omni admiratione dignum illud eſſe, equidem arbitror. Quodſi enim globulos modo et pocula emetica conſideramus atque obſeruamus, quod ſpecifica illorum grauitas nihil perdat, etiamſi vinum ipſis repetitis vicibus affundatur, hanc vim notatu maxime dignam eſſe, et in minimis particulis latere, ingenue profitendum erit

erit (*). Praeterea ſingularis illa virtus emetica, laxatiua, ſtimulans et diaphoretica, quam ſub variis circumſtantiis exſerit, quamue cum ſulphure Antimonii aurato tertiae praecipitationis, et cum Kermes minerali communem habet, maximam eius cum his ſulphuribus Antimonii analogiam denotant, quippe quae praecipue ſeſe a ſulphure communi diſtinguunt, quod adhuc particulis Antimonii regulinis, quas etiam alii arſenicales putant, imbuta ſint.

§. XIII.

Ob inſignem remedii actiuitatem praeſtantiſſimi Practici eo optimis cum infirmis rebus vſi ſunt, eiusque vſum, iucunda edocti experientia, ſummopere commendant, et in febribus inueteratis, quin imo in male curatis, intempeſtiuo corticis chinae vſu ſufflaminatis, et in hydropem, tympanitidem, aut aſthma transmutatis febribus intermittentibus, pro ſpecifico certo laudant. Exacte quidem diuerſiſſimos neque tamen minus ſalutares obſer-

(*) Conſtat ſcilicet Antimonium *ex ſulphure vulgari et ſubſtantia regulina, quae poſterior iterum ex ſulphure minerali, et terra vitreſcibili, teneriori principio arſenicali aliquantulum remixta.* (vid. ill. CARTHEVSER Pharmacolog. Theor. Pract. p. 308. MEVDERI Analyſ. Antimon. Ration. p. 17.) Cum ergo nullo vnquam tempore ſulphur vulgare vel per ſe, vel quocunque modo praeparatum vires emeticas exſerat, hanc virtutem emeticam Antimonii omnino in parte regulina quaerere oportebit. Hanc potiſſimum aggrediuntur acida, et quidem iuxta MEVDERVM §. LXI. acida quaeuis, iuxta GEOFROY Mat. Med. T. II. p. 359. tantum acida vegetabilia. Sic enim ait: *Acida ex vegetabili regno ſtibiatorum vim emeticam intendunt, cum e contrario eandem acida mineralia minuant, aut prorſus extinguant.* Eliguntur itaque potiſſimum cryſtalli tartari, cum ſic optime ſal acidum, nitidum, ſiccum particulis regulinis Antimonii impraegnatum praeparari poſſit, vt adeo Tartarus emeticus conſtet ex *acido tartari et partibus ſulphureo-regulinis Antimonii* (Vid. Diſſert. cl. WIBELII §. III. Cl. BERGMANN Diſſ. de ſtibio tartariſato. Vpſal 1773.)

obſeruant effectus, (vid. Ill. HVXHAMI Opera) dum ſcilicet perſaepe accidit, vt prima doſis propinata vomitum excitet, altera aluum moueat, tertia vrinae largiorem excretionem efficiat, et quarta demum tranſpirationem augeat, ita tamen vt ſingulas euacuationes inſigne leuamen ſequatur. Saepe omnes doſes aluum mouent; ſaepe primae doſes hanc euacuationem intendunt, poſteriores moderantur. Fit interdum, vt poſt omnes propinatas doſes nulla viſibilis aut ſenſibilis ſequatur euacuatio, aut vt illico Paroxyſmus imminens ſupprimatur, aut, vt etiam interdum fieri ſolet, vt Paroxyſmus longe maiori cum vehementia redeat, nunquam tamen poſtea reuerſurus. Hoc in caſu, dum Paroxyſmi vehementia deferbuit, maxime neceſſarius et ſalutaris eſt Corticis Peruuiani vſus, quaecunque demum, ſiue etiam nulla per propinatos antea pulueres antimonialis proſapiae euacuatio prouocata fuerit. Recte obſeruarunt Practici peritiſſimi, haec potiſſimum pertinere ad methodum medendi in intermittentibus et iniuſto tempore ſufflaminatis febribus, et inde ortis atque antea iam denominatis morbis recepta; id quod etiam confirmat Ill. QVARIN Method. medend. febr. Cap. XII. p. 125. Scimus enim, ſulphur Antimonii, quod plerumque hodie iuſto forte praecipitantius, et ob putatitiam cum auro affinitatem, ſulphur auratum vocatur, in pluribus morbis iisque ſaepe maxime rebellibus cum optimo ſucceſſu adhiberi.

§. XIV.

In Diſpenſatorio Würtenbergico edit. nouiſſ. ſub rubrica ſulphuris Antimonii aurati haec praedicantur: „*Inſignes ſunt vires huius ſulphuris aurati, bene praeparati, ad contumaces et chronicas affectiones, praeſertim quae ex ſtagnatione et corruptione lymphae proueniunt; ad pertinaces nimirum glandularum rebelles tumores, vlcera inuetera aliosque cutaneos morbos, interpoſito decocto diluente et ſanguinem depurante; ad aſthma porro conuulſiuum, tuſſim ferinam infantum, peripneumoniam, affectus ſpaſmodicos, catarrhos ſuffocatiuos, hemicraniam, febres intermittentes pertinaces, ſcabiem malignam, quin et praua ex lue venerea incommoda, hoc pharmaco profligata eſſe, celeberrimus* HOFMANNVS *perhibet.*

§. XV.

XV.

Recte Ill. VOGELIVS emetica ſummopere commendat in iudicio ſuo, quod hac de re in ſuam nouam Bibliothecam medicam occaſione Diſſertationis de Vomitoriorum vſu Praeſ. D. I. S. ROEDERER Reſpond. DAN. PHILIP. ROSENBACH, Goett. 1758. ventil. inſeruit: Nondum vſum emeticorum ſatis patere, aut ſatis cognitum eſſe conqueritur Vir celeberrimus, ſaltem non ſic, vt pro ſua efficacia eſſe deberet. Commendatur tamen optimo cum ſucceſſu a viris in Praxi maxime lucida verſantibus, in affectibus conuulſiuis, tetano tenellorum, pleuritide ſicca, tuſſi ferina et conuulſiua puerorum, angina gangraenoſa, febribus verminoſis malignis, ſcotomia, Menorrhagia, in ſuppreſſione ſaliuationis ope Mercurii excitatae, in hernia incarcerata, in amauroſi non ab inanitione aut debilitate oriunda, et affectibus ſoporoſis absque plethora. Nec grauidas ab eorum vſu excluſas prorſus eſſe dicitur. Licet quidem ſint inter morbos nominatos plures, qui magnam ſane Medici in propinandis emeticis cautelam et circumſpectionem exigunt, cuncta tamen haec in genere ſingularem efficaciam emeticorum et remediorum antimonialium abunde probant.

§. XVI.

Cel. ZVCKERT in emendata editione Materiae medicae, quam Cl. LOESECKE primum in lucem edidit, de vſu emeticorum plurima diſſerit, et maiora illorum commoda adhuc oſtendit, quippe quae non ſolum ea, quae in ventriculo latent, morbosque varios generare poſſunt, citiſſime expellunt, verum etiam materiam peccantem in inteſtino duodeno (vid. Ill. SCHMIDEL Diſſ. de Dignitate Inteſtini duodeni §. VIII. IX.) et aliis inteſtinis collectam optime exturbant. Immo ſi quis ipſam actionem vomitus attente conſideret, et actionem Diaphragmatis deſcendentis, muſculorumque abdominis, praecipue rectorum intueatur, facile perſpiciet, per hanc abdominis compreſſionem viſcera et thoracis et abdominis vehementer ſollicitari et comprimi, et quaſi ad reddenda ea cogi, quae ſibi moleſta ſunt. Hinc non ſolum valida hac et ſalutari concuſſione ob-

Digitized by Google

ſtructiones viſcerum aut imminentes praecauentur, aut praeſentes tolluntur, verum et concrementa calculoſa, aut ipſi Calculi, ſiue ductui Choledocho, ſiue pelui et principio vreteris impacti ſenſim promouentur. Ita B. LVDWIGIVS in Inſtitution. Medic. Clinic. §. 945. pag. 445. dicit: *Inquietudinem, nec non vomitus, ſymptomata quidem moleſta, calculum tamen baerentem ſaepe optime promouere.* Poſſunt quoque interdum, at quibusdam ſaltem in circumſtantiis, iisque probe et prouide trutinatis, prodeſſe vomitoria iis in morbis, vbi materia morbifica ſat longe a ventriculo abeſt, ſaltem abeſſe videtur. Sunt hinc, qui ea in ipſis capitis adfectionibus, humorum effuſionibus, affectibus ſoporoſis et ipſa amauroſi commendant; in quibus quidem adfectibus, licet per ſe non indicentur, debita tamen omnium phaenomenorum trutinatione, ſalutaria eſſe poſſunt. Sic Epilepſiam ipſam, at manifeſte a cruditatibus oriundam, ſolo vnius vomitorii vſu ſublatam vidi. Idem ille ab actione Diaphragmatis et muſculorum abdominis in omnes fere neruos diſperſus effectus ſalutarem ſaepe vim emeticorum in affectibus ſoporoſis, peripneumonia, variolis, cachexia, hydrope, aliisque morbis chronicis reddidit, vt, praeter vim antimonialium reſoluentem, ex irritatione ventriculi, plurimarumque immo omnium partium conſenſu ſat facile perſpicitur.

§. XVII.

Quod ſi iam Tartarum emeticum cum aliis quibusdam praeparatis Antimonialibus, praecipue cum ſulphure Antimonii aurato et Kermes minerali comparo, aliquam tum ratione particularum conſtituentium, tum ratione virium videre mihi videor conuenientiam, aliqua tamen etiam intercedente differentia. Dum enim Tartarus emeticus, teſte B. ROLFINCIO (Differt. chem. I.) proprie eſt *Acidum Tartari emeticum*, cuius tamen virtus magis ab *antimoniali, quam a ſalina ſubſtantia dependet*, (vid. Cl. WIBEL Differt §. XII.) haec pars regulina cum ſale, a quo ſoluta eſt, in arctius connubium tranſiit, ſuasque ſic vires irritantes, reſoluentes, ſtimulantes et emeticas exſerit. Praeparata, quae praeter ſubſtantiam regulinam magis adhuc de ſulphure participant, quo ſulphur auratum et Kermes minerale re-

ſero,

fero, eosdem quidem effectus, ſi debita doſi propinantur, exhibent, verum ineſt quoque ipſis ſingularis virtus neruina atque ſedans, quam ego non certe in ipſis particulis regulino-metallicis, quam potius in tenerrimo ſulphure Antimonii quaererem, vt adeo hic, ſi reſolutionem efficere, aut ſtimulum inducere iubeat indicatio, Tartari emetici vſus magis commodus videatur. Reſtat, vt nunc quoque methodum, qua adhiberi a me ſoleat, doceam.

§. XVIII.

In vſum infantum tartarus hic emeticus grani quantitate cum quatuor, ſex vſque ad duodecim granorum ſacchari triti quantitate miſcetur, in aquae vncia ſoluitur, vbi, pro aetatis conditione, quinque, decem, viginti aut plures guttulae ſingulis aut binis horis praeterlapſis propinantur, et ſi periculum in mora, doſis congrua crebrius adhibenda repetitur. Quod ſi neceſſarium fuerit, vt aluus laxa habeatur, cum arcano tartari miſcetur, et ſi febris, defectus appetitus, aut aliae circumſtantiae, putreſcentes impuritates produnt, cum ſpiritu Mindereri et ſyrupo acetoſitatis citri datur. Diuerſas has mixturas in plerisque infantum morbis maxime proficuas eſſe, experientia me docuit, praeſertim, ſi medicus, id quod ſaepiſſime fit, ſaporis expertia, aut adeo grata palato medicamenta, propter ſolitam infantum pertinaciam, parentumque nimiam ſaepe indulgentiam, propinare cogitur.

§. XIX.

Praeter Practicos experientiſſimos, quotidie hanc difficultatem dolentes, etiam Cl. L. EL. HIRSCHEL in epiſtolis de variis ad medicam artem ſpectantibus rebus ep. VIII. de infantum eiusmodi vitiis acerbe conqueritur. Scatent plerumque infantes, praecipue opulentioribus parentibus geniti, cruditatibus viſcidis, a nimio eſu bellariorum, farinaceorum, aliarumque cupediarum oriundis. Medicamenta, quibus opportune haec euacuare oporteret, pertinaciter reſpuunt, ingrato horum ſcilicet ſapore deterriti. Intempeſtiue ſic ſane parentes ſaepe de praecoci filioli ſagacitate ſibi abblandiuntur, iniucunda iam remedia ab exoptatis ſibi cupediis, vel ſolo odore aut ſapore diſtinguentis. Augetur

ſic quotidie vitioſa ſaburra, vires digeſtioni inſeruientes debilitantur, ſicque e male digēſtis magna impuritatum quantitas ſanguini infunditur, hunc non minus deſtructura. Ex his malis ſoliti infantum morbi maximam partem oriuntur, ideoque eiusmodi indulgentibus parentibus tritum illud: hinc illae lacrymae! non inique occinere licebit, plerumque enim intempeſtiua eorum conniuentia omnium malorum, quibus infantes vexantur, cauſa eſt. Immo in tenerrimae aetatis infantibus varii, ob euacuationem meconii ſuppreſſam aut neglectam, oriri poſſunt morbi; vt grauiora tormina, conuulſiones, tetanus maxillae inferioris ſeu triſmus dolorifica diarrhoeae, aliaque mala, quibus etiam ſaepe prudens Medicus debita ſub cautione emeticorum vſu feliciter obuiam ire poteſt.

§. XX.

Verum etiam in ipſis exturbandis vermibus, inſignem ſaepe eſſe vomitoriorum efficaciam, frequens ſatis docet experientia, cumprimis dum ipſa laxantia, praeſertim quae cum mercurio dulci commixta ſunt, infantibus propinantur, quorum vſu ſpontaneus non raro oritur vomitus, et cum illo lumbrici ſaepiſſime expelluntur. Ipſa taenia, quae tot morborum moleſtiſſimorumque ſymptomatum cauſa eſt, quaeque experientia teſte ſumma difficultate expellitur, per repetitas tartari emetici doſes depelli poteſt. Experientia edoctus haec teſtor, licet lubens etiam methodo, non quidem in ſe nouae, tamen paucis abhinc annis diuulgatae, qua poſt doſin Rad. Filicis, validum ſatis remedium purgans propinatur, ſuam laudem relinquam. Quod vomitoria vermes expellant, partim ex caſu, quem BROVZET recenſet, partim ex Diſſert. de vſu vomitoriorum ad expellendos vermes ſub praeſidio Ill. Archiatri VOGELII ventilata, ſatis apparet. Cf. Cl ROSENSTEIN von den Kinderkrankheiten, p. 437. edit. nouiſſ. ibique Cl. MVRRAY in obſeru. adiect. vbi praecipue vſus vomitoriorum vel ex hoc quoque argumento commendatur, quod eum, ſic teſtantibus MONRO et STRANDBERG, inſigne leuamen illico fere ſequatur, et ſymptomata a vermibus oriunda fere illico conquieſcant.

§. XXI.

§. XXI.

Morbis, quibus infantes obnoxii ſunt, annumeranda quoque veniunt exanthemata febrilia partim, partim vero, quae ſine febre exiſtunt. Verum in his quoque morbis exanthematicis tum infantum tum adultorum, maximam ſaepe laudem mereri emetica, frequens comprobat experientia. Licet enim negari non poteſt, patere etiam in ipſa vaſa et humorum maſſam miaſmati aditum, vel etiam ipſum ſanguinem ſenſim vitium contrahere, et impuritates generare poſſe, tamen non minus cognita eſt facilis per primas vias miaſmatis inſinuatio, (vid. LANCISII de Nox. Palud. effluu. p. 172 ſqq) et cumprimis materiae putridae et biliofae in primis viis haerentis corruptio, quae ad maſſam ſanguinis delata, hanc ad diſſolutionem putridam diſponit, variaque exanthemata producere poteſt, non ſuperuentura, ni fomes morbi e primis viis auctus fuiſſet. (Vid. GEORG. BAGLIV Oper. Lib. I. Cap. IX.) At et ſolide dicta ſunt, quae paſſim eruditi de criſi metaſtatica aut metaſtaſi critica in exanthematibus docent, nec omnia exanthemata pro factitiis, aut e ventriculo oriundis declarare vnquam mihi in animo erit. Neque tamen in his etiam, et omni fere tempore, vſus emeticorum debita cum cautione inſtitutus reformidandus erit. Clare id docetur in eximia Diſſertatione: De emeſi in febribus acutis, Praeſ. Ill. BOSE, Reſp. HEDWIG Lipſ. MDCCLVIIII. *Motibus progredientibus*, inquit Ill. Autor, *corruptio putrida pituitae et bilis . . magis magisque euoluitur, intenditur, cumque putrida materia ad ſanguinem redundet, omnem proinde humorum acrimoniam putridamque Diatheſin auget, idque tam diu, ac fons mali ſuperſtes eſt. Ergo, vt fomes extinguatur, neceſſe eſt . . . . Atque cum haud raro a ſordibus primarum viarum, febre acuta, praeſertim epidemica correptis, varias maculas petechiales, progrediente morbo, in cute, cum magna virium proſtratione appareant; hocque omnino redundantis in humoribus putridi miaſmatis ſit documentum, fomes igitur, ne magis adhuc augeatur malum, excutiendus eſt. Tantum autem abeſt, vt vomitorio ab incepto iam ad cutim molimine auocetur natura, vt potius adiuuetur, cum, niſi etiam vires, vt ſupra docuimus, vomitorio reſuſcitentur, viaeque magis aperiantur, tantum*

 tum

Digitized by Google

tum tamen iis additur, quantum ex morbi materia detrahitur. etc. (Vid §. XII. loc. cit.)

§. XXII.

Variolae, quae ſunt ex periculoſiſſimorum morborum, quibus infantes expoſiti ſunt, numero, ſaepiſſime, prohdolor! mortiferae euadunt, ſi euacuationes ante illarum eruptionem partim, partim vero eo tempore, quo febris ſecundaria oritur, negliguntur. Nimiae impuritates, quibus plerique infantes ſcatent, copioſis excretionibus horum exanthematum plerumque anſam praebent, aut ſaltem ipſum morbum longe reddere poſſunt maligniorem. Sic quoque ſupra laudatus Cl. HIRSCHEL recte dira illa refert conſectaria, quae ex connubio cruditatum et miaſmatis oriuntur. Quodſi enim primae viae materia pituitoſa, acri et bilioſa repletae ſint, iamque nunc nouiter virus varioloſum ſuperueniat, fieri non poteſt, quin pernicioſa ſummeque putrida atque maligna ex hac combinatione generetur materia, dum ſic quaſi virus intenditur atque acuitur, diraque immo mortifera ſymptomata in hoc corpore producit, licet caeterum variolae hoc tempore epidemice graſſantes, in ſe haud adeo malignae ſint indolis, et in corporibus nullis repletis cruditatibus placidiſſime decurrant. Quae cuncta, ſi quis prudenter conſiderauerit, eo ſane magis etiam in hoc morbo de neceſſitate et vtilitate euacuantium, et praecipue emeticorum, tempeſtiue propinatorum ſibi perſuadebit.

§. XIII.

Vomitoria vero, inter quae *praeeminet Tartarus emeticus*, (vid. Diſſ. Ill. BOSE ſupra cit. §. VI.) ſaepiſſime etiam loco remediorum laxantium propinari poſſunt, quippe quorum vices feliciſſime ſupplent. Remedii huius nunquam ſatis laudandi granum vnum cum ſemiuncia cremoris tartari mixtam in variolarum epidemia, quae ante annum graſſabatur, non praeſeruatiue modo, ſed etiam curatiue, dedi. Cochleare minus hac mixtura repletum, ab infantibus hauſtum, in nonnullis vomitum, in aliis aluum, in quibusdam vtrumque ſimul mouit. Et omnes hi infantes paucis iisque bonae indolis variolis affecti fuerunt, id quod laetus obſeruaui. Quodſi infantes quidam hanc mixturam

ram reſpuerunt, aqua ſolutam pro aetatis indole illis partim per guttulas quasdam, partim ſupra dicto modo, idque repetitis ſaepe vicibus, in minori doſi, quoties euacuationem alui producere optarem, mutatisque vicibus cremorem tartari in alio potu, dedi. Haec methodus, qua et in adultis ſaepe tantum nauſea absque vllo vomitu excitatur, a Gallis *l'Emetique en lavage* vocatur. Ill. de ROSENSTEIN tartarum emeticum eodem modo exhibuit, id quod patet ex eiusdem Anweiſung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten, p. 172. edit. nouiſſ. vbi de variolis egit.

§. XXIV.

Ill. TISSOT in libro, cui titulus: Abhandlungen über verſchiedene Gegenſtände der Arzneywiſſenſchaft, p. 118. non minus Tartarum emeticum, in tam parua doſi in potu ordinario pueris propinandum, vt vomitum non prouocare poſſit, et ſaltem aluum moueat, ſummopere commendat. Quod vomitus vero aeque fere frequenter mouendus ſit, quam laxatio, experientia quotidiana me docuit, et ipſe Obſeruationem, quam Ill. TISSOT l. c. exhibet veritate niti, expertus ſum. Recte enim Vir Cl. vſum emeticorum neceſſarium et ſalutarem eſſe contendit, vbi ingens ſaburrae vitioſae copia in ventriculo praeſto eſt, quippe quam longe promptius atque exactius exturbant, quam quidem vnquam a remediis laxantibus ſperari poſſit. Accedit et aliud commodum, quod illorum vſum ſequitur, dum ſcilicet celeri e ventriculo per vomitum materiae peccantis euacuatione praecauetur, ne quid de hac in ſanguinem reſorberi eiusque mixtionem turbare poſſit, quod ſub tardiori magis inertium laxantium, actione, et in longo materiae per totum tractum inteſtinorum itinere vix impediri poteſt. Latius adhuc extendit vſum emeticorum; dum in principio morborum lene vomitorium et pueris et adultis propinare ſuadet, licet nulla praeciſe adſint latentium in ventriculo cruditatum indicia, dummodo antea aegri gulae ſuae indulgere ſoliti fuerint. Iuſta enim inde naſcitur ſuſpicio, latitare ciborum reliquias in duodeno, ibidemque bile remixtas in materiam abire poſſe, quae in progreſſu morbi putredinem contrahat, ſicque aut morbum ipſum augeat, aut ſecundarium peiorem efficiat.

Digitized by Google

efficiat. Neque vnquam emetica debite adminiſtrata aut typum morbi turbant, aut eruptionem exanthematum impediunt, verum placidiorem morbi decurſum efficiunt, praecipue vbi, vrgente id indicatione, praeuia ventriculi euacuatione, etiam ipſa inteſtina leni laxante mannato abſtergantur. Eodem modo ſentit Cl. HIRSCHEL l. c. et remedia euacuantia, praecipue emetica, talia eſſe contendit, quae in principio multorum morborum, praeſertim in variolarum praeludio, ſatis laudari et commendari non poſſint.

§. XXV

Tartarus emeticus, aqua ſolutus gratoque acido ſucco mixtus, in parua doſi propinatus, quod ſupra iam dictum eſt, vt remedium exanthemata promouens ſpectari poteſt. Etiam eo ipſo tempore, quo magna debilitas virium et cum hac coniuncta ſymptomata, quae Ill. TISSOT l. c. p. 122. bene et diſtincte deſcripſit, adſunt. Tartarum emeticum vino ſolutum ſubminiſtro, idque in parua doſi, ſed repetitis vicibus, et ſi forſan diſtinctiora putredinis ſigna animaduertuntur, ſpiritum vitrioli, dulci quodam ſucco mixtum, diuerſis vicibus exhibeo. Hae mixturae, id quod iure praedicare poſſum, exoptato ſucceſſu raro deſtitutae fuerunt. Interim, quoniam nulla regula ſine exceptione, infantes quidem, qui ſub initium morbi non ſatis purgati, quique in eius progreſſu nihil plane, ne aquam quidem puram haurire volebant, effecerunt, vt ſpes me interdum falleret. Iure igitur meritoque affirmare poſſum, quod omnia, quae Ill. TISSOT ſaepius iam laudatus in Ipecacuanhae laudem in eiusmodi caſibus protulit, de Tartaro emetico quoque, ſi dicto modo propinatur, praedicari poſſint.

§. XXVI.

Vſum, quem hoc remedium in variolis praebet, eundem quoque in aliis exanthematum febribus praeſtat. Legitima tamen diiudicatio adhibenda, et iuxta Therapiae generalis regulas atque prudenter formatas indicationes accurate perpendendum eſt, vtrumne plethorae aut inflammationis ſigna adſint, quae venaeſectionis vſum iniungunt, quaeque ideo praemittenda

tenda eſt, ſicut hoc perſaepe in morbillorum morbo fieri ſolet. In febre ſcarlatina hoc egregium medicamen nunquam ſatis laudari poteſt. Quod ſi ſub morbi initium vt vomitorium, in eius progreſſu autem vt diaphoreticum, ſed in minori doſi porrigitur, laetus experietur Medicus, quod nullum ſymptomatum eorum, quae alias in hoc morbo ſe prodere et ſaepe ſat periculoſa eſſe ſolent, compareat. (Vid. Cel. HIRSHELI ep. VIII. p. 207. Ill. TISSOT *Avis au peuple etc.* Cap. de Angina.) Cum his comparanda eſt egregia obſeruatio THOM. WHITERI *de Abuſu Medicamentorum*, p. 39. vbi ſimul de Angina maligna et gangraenoſa, et de febre ſcarlatina, et ob ſuperuenientem interdum colli inflammationem eryſipelatoden, horum morborum non adeo facili ſemper Diagnoſi multa concinne dicuntur.

§. XXVII.

Eſſet ſane operae pretium, ſigna illa, quibus vterque morbus a ſe inuicem diſtinguitur, quam exactiſſime determinare. Hoc ſaltim certum eſt, febrem ſcarlatinam magis ad inflammatoria exanthemata accedere, atque magis antiphlogiſticam curam poſtulare, anginam vero in morbi progreſſu demum, et quidem metaſtaſi quadam mediante, interdum oriri. Interim, quia animaduerti, quod idem contagium in nonnullis aegrotis malignioris indolis anginas, in aliis e contrario febrem ſcarlatinam produxerit, equidem crediderim, vtrumque hunc morbum ſatis inter ſe ratione materiae affinem eſſe, et pro corporum aliarumque circumſtantiarum indole modo diuerſam ſpeciem mentiri.

§. XXVIII.

Cl. FORTHERGILLII opinio, cuius ſupradictus auctor mentionem facit, quaeque malignioris anginae cum febre ſcarlatina confuſionem ſpectat, aliquid monendi occaſionem praebet de inflammatione faucium et de infantum angina, praeſertim vero de ea, quae nonnullis abhinc annis vehementer apud nos graſſata eſt, quapropter iure malum atrociſſimum rebelle nominari

Digitized by Google

quoque poteſt. Haec angina, in qua trachea praeternaturali concremento membranaceo obducta eſt, *Cynanche ſtridula*, aut *morbus ſtrangulatorius*, aut *ſuffocatio ſtridula* et ſcotica lingua *Croup* dicta eſt. In Ill. Archiatri de ROSENSTEIN Opere *de morbis puerorum*, eiusque tertia et aucta editione de Ao. 1774, quam Cel. MVRRAY curauit, hic morbus exactiſſime deſcribitur; cum qua deſcriptione multum conuenire video, quae Ill. SAVVAGES *de Cynanche gangraenoſa* refert, *Noſolog. Methodic.* Tom. II. p. 478. ſqq. Cum febre ſcilicet generatur concrementum membranoſo pituitoſum, arteriam aſperam cum eius ramis obducens, facile poſt mortem a trachea ſeparabilis, ſubſtrata materia puri ſat ſimili. In hac tunica mucoſa fibroſi nihil. Non in tepida lacti remixta liqueſcit, at in aqua ſubſidet. Pulmones in ſe illaeſi nullum ſuppurationis ſignum exhibent. Satis haec concrementi huius pituitoſi cum membrana phlogiſtica, aut, vt vocant, pleuritica, analogiam docent, magis in arteria aſpera, quam pharynge haerentis, dum longe magis reſpiratio quam deglutitio laeſa eſt, quod et praecipue vox ſingulari modo ſtridula, neque facile imitabilis indicat, et quae morbi huius quaſi ſignum pathognomonicum et eſſentiale eſt. Confirmant id omnia febris comitis ſymptomata, quippe quae pro diuerſo habitu corporis infirmi, magis vel minus, ſemper tamen, ad ipſum vſque morbi exitum, proxime ad morem et typum morbi inflammatorii accedit.

§. XXIX.

De hoc morbo, qui infantum peſtis merito dici poſſet, multa protulit laudatus Auctor, eiusque deſcriptio ſatis ampla, aſt vero, quantum equidem ex quibusdam meis experientiis, repetitis vicibus hunc in finem inſtitutis, iudicare poſſum, phaenomena ac ſymptomata huius in multis regionibus nondum ſatis cogniti morbi vix omnia exacte determinata ſunt. Nam Auctor ille nullam mentionem facit pulſus fortioris arteriarum temporalium, quod phoenomenon tamen ſub morbi initium, ſiue, vt HOME loquitur, quando ſtadium inflammatorium oritur,

Digitized by Google

tur, certiſſimum huius morbi terribilis ſignum habetur. Inter alia quoque aſſerit, quod in collo et larynge nulla mutatio obſeruetur, in quo tamen cum eo ſentire nequeo. Nam die ſecundo aut quarto morbi in tonſillis et faucibus nonnullorum infantum albas maculas obſeruaui, in aliis externus tumor in collo, praeſertim vero in genis, obſeruatus fuit, deglutitio quoque difficilis erat, quorundam vero ſputum pituitam cum ſanguine mixtam continebat.

§. XXX.

Animaduerti etiam, quod in nonnullis infantibus poſt mortem exanthemata, aut tumores quoque in aliis orta, in aliis huic morbo febris ſcarlatina malignae indolis ſe iunxit, quae externas internasque oris partes occupauit, ſimulque peſtiferorum vlcerum, contorſionum oris, et denique mortiferae gangraenae cauſa fuit. His rationibus ductus equidem ad credendum inducor, hanc ſpeciem anginae infantum peculiarem eſſe morbum, cum aliis tamen faucium morbis mixtum eſſe poſſe. Quod febris ſcarlatina anno praeterlapſo apud nos graſſata ſit, et plerique infantes, paucis, qui curam ſui non rite obſeruarunt, exceptis, felicem ſucceſſum experti ac reſtituti ſint, inter nos conſtat; quod vero plerique horum infantum, qui febre ſcarlatina antea laborarunt, fatali hoc faucium morbo non fuerint vexati, non minus extra dubium eſt.

§. XXXI.

Ill. de ROSENSTEIN l. c. hunc morbum fere inter adfectus rheumaticos refert, in quo ſcilicet materia in glandulas folliculoſas tunicae internae arteriae aſperae coniecta et ibidem abundanter exſudans, tum in ſuperficie anteriori ab exhalatione tenuiſſimae partis et acceſſu aeris aliquantum indureſcit, tum in poſteriori a ſubſequente muco continuo humectatur. Recte quidem, ſed mihi quidem, licet etiam aeris acceſſus in arteriam aſperam conſiderandus ſit, veroſimile videtur, quod,

quia febris ſcarlatina paullo ante graſſata erat, ſic dictus ab eo rheumatiſmus, miaſma ſcarlatinum fuerit.

§. XXXII.

Cum febre ſcarlatina gangraenoſam anginam ſeſe ſociaſſe, obſeruauit iam NAVIERVS, vt eiusdem Diſſertatio *en forme de Lettre ſur pluſieurs maladies populaires* docet. HIRSCHELII ep. V. et ROSENSTEIN Tract. von Scharlachfiebern. Egomet ipſe, dum febris ſcarlatina apud nos graſſaretur, in nonnullis infantibus valde inflammatas maculas albas in ore, praeſertim in lingua, animaduerti. Ceterum morbus hic, ſiue ſolus, ſiue cum alio faucium morbo complicatus ſit, methodus illum curandi eadem eſſe mihi videtur.

§. XXXIII.

Quum in faucium morbis, cuiuscunque generis illi etiam fuerint, vomitoria vt optime operantia ſaepe commendantur: equidem mihi perſuaſum eſt, ipſamet in hac etiam anginae ſpecie actuoſiſſima remedia eſſe. Licet enim in Roſenſteiniano Tractatu laudato refertur, quod ex Ill HOMII ſententia vomitoria in hoc morbo nullum vnquam praeſtiterint vſum; nullus tamen dubito, viri huius illuſtris ſententiae ſubſcribere, quam in laudato tractatu exhibuit, vbi vomitoria in ipſa Angina maligna, vlcerosa, aut etiam illa, in qua pſeudomembrana in Trachea naſcitur, ſummopere commendat. Licet enim, recte iudicante Cl. HOME, per vomitoria augeatur affluxus et ſecretio muci pulmonalis, e qua haec pſeudomembrana generatur, tamen, obſeruantibus Cl. CVLLEN et CRAWFORDT, idem ille mucus per vomitoria magis reſoluitur, celeriter excutitur, ſicque generatio membranae impeditur. Paucos pueros, quibus hoc in morbo tempeſtiue vomitoria dantur, interire, ab iisdem Viris Cl. obſeruatum eſt. TOVRNEFORTIVS mentionem facit Anginae in Oriente ſat frequentis, quam *Peſtem puerorum* vocat, et in qua tumor ſub larynge apparet, quo apparente illico

Digitized by Google

illico emeticum, optimo cum ſucceſſu propinatur. Vtuntur quidem in Scotia, ad emeſin prouocandam, Radice Ipecacuanhae; at cum ab hac, ob volumen et ſaporem ingratum, pueri abhorreant, longe magis ei Tartarus emeticus praeferendus eſt, qui et facilius et tam parca doſi propinari poteſt, vt nullum vomitum prouocet, ſed ſaltem diaphoreſin, hic valde ſalutarem augeat. Idem iam olim de tuſſi ferina puerorum, quam nonnulli cum Angina puerorum comparant, ETTMVLLERVS obſeruauit.

§. XXXIV.

Medici, quibus, pertinacem hunc morbum obſeruandi occaſio fuit, ingenue mecum profitebuntur, quod omnia adhibita medicamina, euacuationes, omnis generis pectoralia et diaphoretica, emplaſtrum de cantharidibus, ſinapiſmi, clyſteres, hirudines collo externe applicatae, ſuffitus ex pipere circa aegrotantis lectum, vt cutis excretio promoueatur, ſaepe vix ſufficiant. Nam ab emeticis abhorrent interdum et aegrotantes et medici hoc in morbo. Mihimet ipſi profitendum eſt; ſi ſupra laudatus Tractatus in manus meas prius incidiſſet, quod, poſt venaeſectionem antea inſtitutam, durante morbi ſtadio emetica in parua doſi frequentius propinaſſem. Haec enim efficaciſſima arbitror media ad membranae mucoſae in trachea haerentis exſcreationem promouendam. Semper me poenitebit, quod vſum vomitoriorum, quae ſecundo et quarto die, trium circiter annorum infanti meo hoc morbo laboranti dederam, non continuauerim. Nullus enim horum infantum, qui hoc contagio mortui ſunt, ſeptimum diem ſuperuixit, multoque minus partem membranae, in cylindrum fere conuolutae, exſcreauit, ſicut infans meus bis, quinto ſcilicet et ſexto die morbi ſumma cum vehementia fecit. Quodſi igitur medicamentorum horum vſum, quoties aegrotantem paroxyſmus corriperet, continuaſſem, infans meus absque omni dubio in viuis eſſet. Probe enim poſthac expertus ſum, ſymptomata poſt emeticorum vſum atque effectum plurimum leuari.

Digitized by Google

§. XXXV.

Metus igitur mihi equidem vanus videtur, dum vomitoria in hoc morbo ideo reſpuuntur, vt omnis irritatio, eoque ipſo inflammatio maior euitetur. Quam eo minus metuendam eſſe, eo certius conuictus ſum, quod in infante meo poſt quamlibet concrementi mucoſi exſcreationem ſymptomata leuarentur. Certo igitur mihi perſuaſum eſt, quod pars membranae pituitoſae in trachea adhuc haerentis, quae mortiferam ſuffocationem produxit, cum leuamine ſymptomatum ſine dubio omnis exſcreata fuiſſet.

§. XXXVI.

Eamdem ſententiam meam defendit quoque THEOPHILVS BORDEV in tractatu ante paucos annos edito, ſed non ſatis accurate in germanicam linguam verſo, *de tela celluloſa et de quibusdam thoracis morbis* inſcripto; vbi pag. 124. ſqq. refert, in annnis MDCCXLIV-MDCCXLVI. in Gallia meridionali, anginae ſpeciem graſſatam eſſe, quae pueris maxime exitialis eſſet; in qua tamen, licet proxime ad inflammationem morbus accederet, vomitoria optimo cum ſucceſſu, infirmis propinata ſunt. Idem in ſimili Epidemia in annis MDCCLVIII-MDCCLXII. Pariſiis graſſata, quam *la Trollette*, vel *la petite poſte* vocare ſolebant, obſeruatum eſt.

§. XXXVII.

Haec ſufficere opinor ad praeſtantiſſimum vſum tum emeticorum in genere, tum praecipue Tartari emetici in faucium morbis commendandum. Prius vero, quam calamum abiiciam, pauca quaedam de ſaluberrimi huius remedii magna vtilitate in febribus ardentibus inuadentibus adiunxiſſe, a ſcopo meo non alienum duco. Dictum Hippocraticum, quod L. II. Aphor. 29. legitur: *ſi quod mouendum eſt*, *initio moue:* vt regulam ſemper ante oculos habere debet Medicus, aeque ac tritum illud: *principiis obſta*, *ſero medicina paratur.* Quod ſi tamen officii

ſui

Digitized by Google

ſui eſſe exiſtimat, aegrotantes, qui fidei ac curae ſuae ſe commiſerunt, celeriter et tuto ſanare, eius quoque eſt, de conuenientiſſimis probatiſſimisque remediis ſollicitum eſſe.

§. XXXVIII.

Quoniam in inuaſione febrium ardentium euacuationes plerumque tam neceſſariae ſunt, vomitoria, pro circumſtantiarum conditione et febrium diuerſitate, haudquaquam neglecturus eſt prudens Medicus. Equidem experientia edoctus noui, quod emetica, ſub morbi ingreſſum data, diarrhoeas maligniores, quae in morbi progreſſu oriri ſolent, impediuerint. Eiusmodi febres ſub initium ſaepiſſime tolluntur, ſi tartarus emeticus mature propinatur. THOMAS WITHERS in laudatis iam obſeruationibus haec confirmat, et emetica in inuaſione febrium, ſiue iam remittentes, ſiue putridae, ſiue etiam inflammatoriae fuerint, ſummopere commendat; vbi quoque conferri merentur, quae B. HEISTERVS in *Medicin. pract.* pag. 102-113. hac de re adfert, et praecipue febres meſentericas diſtincte explicat.

§. XXXIX.

Ad meam methodum quod attinet, tartarum emeticum, vt ſupra §. XVIII. dictum eſt, miſceo, pro febrium diuerſitate, cum cremore tartari, cremore ſolubili, cum ſpiritu vitrioli, vti et cum ſpiritu Mindereri, cum nitro, ſale ammoniaco, exhibeo eundem in forma ſicca partim, partim fluida cum ſyrupo quodam et aqua, eiusque ſingulo bihorio aut trihorio ſic refractam doſin porrigo, et voluptati mihi eſt, maximam partem effectus inde experiri felices.

§. XL.

Abſum quidem longiſſime ab eo, qui cunctis his dictis remedia emetica, et praecipue Tartarum emeticum, vt remedium vniuerſale in omnibus morbis, veramque Panacaeam laudare velit, praeprimis, cum etiam Medico circumſpecto contraindicatio-

Digitized by Google

cationes, vt, vera debilitas et inanitio, humorumque exhauſtio, turgida plethora, mala pectoris conformatio, pulmonum, vel etiam aliorum viſcerum laeſiones, neque minus hernia aut grauiditas prudentiſſime conſideranda ſint. Mihi interim, cui nunc ſpecimen inaugurale exhibendum erat, de hoc themate, tum e Pharmacia, tum e Medicina practica deſumto, haec dicta ſufficiant, quae Lector Beneuolus tum pro temporis anguſtia, tum pro arduorum, quibus quotidie obſtrictus ſum, laborum pondere, tum pro ſua aequitate, vt enixe rogo, diiudicabit.

Digitized by Google